

non posse, nec illum aliquid accepisse quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Acquiescimus et verum est. Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit: at qui comparticeps factus est damnationis quomodo debeat honorem accipere invenire non possumus ») iisque ius acquisitum esse exercendi ordinis plebemque christianam regendi; idemque ius negabatur iis concedendum esse cum ad catholicam reverterentur nisi certis existentibus conditionibus, quemadmodum statuit idem Innocentius I, quibus existentibus reciperentur ad honorem sacerdotii sine ulla sacramenti iteratione. Nec audiendus hac in re Morinus op. cit. P. III. Exercit. 5. Cf. Tournely de Sacr. Ordinis q. VI.

Ritum ordinationis iterandum non esse suaderi potest auctoritate Scripturarum ex eo quod hortetur Apostolus episcopum ut gratiam quam obtinuit excitet operibus suis, non vero iterationem eiusdem ritus proponat.

Itaque ordinatio eo spectat ut 1° intrinsece hominem Deo consecret ea consecratione qua idoneus et potens perenniter existat actiones quasdam sacras et sacramentales peragendi, ut 2° rite dispositum gratia sanctificante opportunisque actualibus auxiliis augeat consecratum. Quocirca ordinem scholastici definiebant *signaculum quoddam* (signum exterius) *Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. Cf. S. Thom. Supplem. q. XXXIV. a. 2°. Recte autem Suarez de Sacramen. D. XI. Sect. 4° monet ordinationis effectum primarium seu primo intentum esse characterem; eo enim ipsa per se spectat ut ministros sacrorum sacerdotesque constituat: gratia vero confertur ut rite ministerium exerceatur.

§. XIV.

Traditione autem christiana certum est duplicem iure divino ordinem esse Episcoporum et Presbyterorum, atque his esse illos iure divino superiores: ritus autem sacer quo initiatur Episcopus sacramentum est distinctum ab eo sacramento quo initiatur Presbyter.

I. Distinctioni duplicis ordinis quam universa traditio evidenter testatur, obstare videtur ratio loquendi N. T. penes quod iidem videntur esse episcopi qui presbyteri; quod et Hieronymus (in comm. epist. ad Tit. c. 1. et in epist. CXLVI ad Evangelium - Petavius aliique legunt *ad Evagrium* -) ac Chrysostomus (in epist. ad Philipp. c. 1) adverterunt; qua de re haec teneantur. In N. T. nunquam occurrit mentio ministrorum sacrorum novae legis sub nomine sacer-

dotum: nam *ιερευς*; tunc intelligebantur ex usu loquendi sacerdotes veteris legis: mentio tamen fit sacrificii 1° Cor. X. 16-21: coll. XI, 23. Sacerdotis autem nomine primis Ecclesiae seculis veniebat praecipue Episcopus.

In N. T. occurrunt nomina *Episcopus, Presbyter, Presbyterium, Diaconus*. Episcopus (ex usu profano *inspector cum iurisdictione* cf. Petavius de E. H. L. II. c. 5) est in N. T. qui praeest, qui Ecclesiam regit, qui manus imponit, qui presbyteros iudicat, qui depositum fidei custodit (Tit. I, 5. 1° Tim. V, 1. 7. 19. 22; VI, 20: 2° Tim. II, 2; IV, 2. Act. XX, 28.).

Presbyterorum nomine veniunt et ii qui erant Episcopi (Tit. I, 5. Act. XX, 17-28; 1° Pet. V, 1. 2.). At veniunt et illi qui Episcopo subsunt. Nam 1. Tim. V. 19. praecipit Timotheo Apostolus ne recipiat accusationem adversus presbyterum nisi sub duobus vel tribus testibus; Episcopus ergo eos presbyteros iudicabat.

Presbyter nomen est dignitatis et officii, liquet ex locis citatis: pariterque se habet ac in T. V. קֹהֵן (Exod. III, 16; IV, 29; Deut. XIX, 12. XXI, 3. 6; XXII, 15-18). An semper sit nomen dignitatis dubitare licet ex 1. Tim. V, 1.

Presbyterium est per se consessus presbyterorum, et etiam episcoporum si qui presbyteri vocantur sint episcopi. Cf. epist. Cornelii R. P. ad Fabium Antioch. penes Euseb. (H. E. L. VIII, c. 43).

Quoniam constat in N. T. easdem personas, non quidem semper, dici simul episcopos et presbyteros (non constat autem eum qui fuerit secundi ordinis tantum sacerdos quem nos modo presbyterum nominamus, vocatum fuisse episcopum), quaestio est inter eruditos an haec duo nomina in N. T. significant dignitates duas duoque munera differentia, materialiter tantum propter idem subiectum convenientia, an significant idem formaliter ut omnis distinctio sit penes nomina. Hoc alterum potest duplici modo affirmari. Nimirum vel dicis nomen presbyteri prius generice usurpatum fuisse ad designandum munus quodvis sacerdotale cum iurisdictione, postea in Ecclesia evasisse nomen specificum pro certo ordine. Vel dicis nomen presbyteri habere in N. T. eandem prorsus specificam significationem quam nunc obtinet. Si primum dicis, licet affirmare in N. T. presbyteri appellationem designare illud idem quod episcopi, quin exinde inferre liceat eundem esse ordinem presbyteratum et episcopatum; at si alterum dicis, unum simul asseris fuisse ordinem sacerdotalem. S. Epiphanius (haeres. LXXV) censuit presbyteros et episcopos in libris N. T. diversas esse personas, differenti instructas dignitate; Apostoli scilicet in quadam civitate episcopos et diaconos, in alia presbyteros solum et diaconos instituebant prout idoneos reperiebant,

et necessitas ferebat. Theodoretici explicatio in c. III. epist. 1^a ad Tim. secum ipsa pugnat. Hieronymus (l. c.) contendit eosdem esse, in epist. ad Tit. I, 5. et in Act. XX, 17-28 presbyteros et episcopos ratione tamen habita gubernationis Ecclesiae, quam in communi a pluribus rectam fuisse censet, non vero habita ratione cuiusque potestatis; nam episcopis asserit potestatem ordinandi quam negat presbyteris. Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Philipp. vult presbyteros et episcopos eiusdem ordinis nomina fuisse, et quidem secundi ordinis, nam plures erant in una civitate. At hom. XI in 1^a Tim. rationem reddens cur ab Episcopis transeat Paulus ad Diaconos omissis presbyteris, ideo ait hoc esse factum quia parvo discrimine separantur episcopi et presbyteri, potestate nempe ordinandi quae solis episcopis competit. Sententia Petavii (Dissert. Eccles. L. I. c. 2) est: ii qui in N. T. dicuntur presbyteri, iidem erant quoque episcopi h. e. primi ordinis sacerdotes; eo quod tunc plures essent in una Ecclesia episcopi ordinati, qui parati essent ad evangelizandas alias gentes, essentque ad manus Apostolorum qui eos mitterent quo oportet. Nititur haec explicatio hypothese quod episcopi vocati ex Epheso, et ii ad quos scribitur epist. ad Philipp. sint episcopi unius omnes civitatis. At id incertum saltem est, probabiliorque est quoad locum ex Actis sententia Irenaei L. III. c. 14. eos fuisse episcopos finitimarum civitatum (cf. eundem Petavium H. E. L. II.). Probabilior nobis ea interpretatio videtur qua asseritur olim presbyteri nomen tum generica significatione usurpatum fuisse, tum identidem specifica, cum episcopo opponeretur: rationem vero cur presbyteri specificè accepti mentio aliquando non fiat, memorato episcopo et diacono, vel ideo esse quia soli episcopi exstabant, ut ad Philipp., vel quia in episcopo presbyter continetur, et ad utrumque eadem fere pertinent praecepta 1. Tim. III. 2. seqq. Ceterum haec interpretatio supponit testificationem traditionis, ex qua duplex ordo sacerdotii certo colligatur: ex Scripturis enim solis nihil in hac re licet certo definire.

Διακονος, ut nunc de eo quoque loquamur, etiam profanis scriptoribus est *minister*, duplicique significatione penes Scriptores ecclesiasticos occurrit, laxiore scilicet, quae notat *ministerium verbi, novique testamenti* Eph. III, 7; 2^a Cor. III, 6: strictiore quo alter quidam ordo a presbytero et episcopo significatur 1^a Tim. III, 8. coll. Tit. I, 5.

II. Iam vero duplicem esse ordinem sacerdotii formaliter distinctum (etsi in eodem subiecto simul esse possint, et sic materialiter esse idem) traditione christiana evidens est. Nam distinctio episcopatus a presbyteratu patet ex eo quod a) in enumeratione graduum ministrorum episcopi a presbyteris distinguantur: cf. epistolas omnes

S. Ignatii qui e. g. ad Trallianos n. 2 ait « necessarium est ut sine episcopo nihil agatis: sed et presbyterio subditi sitis: cuncti similiter revereantur Diaconos » cf. Dionysii Areop. H. E. c. 5: canones apostolicos: canones conc. IV. Carthag. Hieronymum in Michaeam c. 7: quod b) unus episcopus in singulis ecclesiis plures habentibus presbyteros semper ab aetate apostolica fuerit, ut constat ex iisdem epistolis Ignatii, ex epist. Cornelii ad Fabium (H. E. Eusebii L. VI. c. 43), et ex veterum catalogis Episcoporum quos reliquerunt nobis Irenaeus adv. haer. L. III, c. 3. Optatus L. II, n. 3. Eusebius qui primarum sedium successiones accurate describit, Epiphanius qui haer. XXVII, n. 6. rationem reddit cur catalogum episcoporum romanorum describat, quia nempe per hoc perpetuo certe accurateque veritas ostenditur, atque Augustinus ep. LIII, et ex testificatione Tertulliani ad hos catalogos provocantis in Praescript. c. 20 (lege hac de re Petavii opus De H. E.), atque ex manifesta doctrina Cypriani in libro de unitate Ecclesiae, quae quidem per subordinationem omnium presbyterorum quoque uni Episcopo obtinetur: quod c) proinde episcopus praefuerit presbyteris, penesque ipsum fuerit Ecclesiae τὸ κενός, ut patet ex Ignatio rursus qui id in epistolis data opera praecipue docet: e. g. ad Smyrnaeos n. 8 « omnes Episcopum sequimini, sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant: rata Eucharistia habeatur illa quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse permiserit. Non licet sine Episcopo baptizare, aut agapem celebrare..... qui clam Episcopo aliquid agit diabolo praestat obsequium » idemque patet ex canonibus apostolicis en. 12, 24, 31, 32, 34, epist. Cleri Romani ad Cyprianum de lapsis ceterisque locis modo citatis: quod d) diversa potestas fuerit episcopis et presbyteris attributa; ius enim et potestas ordinandi solis episcopis fuit semper asserta, ut liquet ex canonibus apost. nicaenis, carthagin. etc. et ex Hieronymo epist. CXLVI. ad Evangelum, atque ex Epiphanio haeres. LXXV, et ex Chrysost. in 1. Tim. hom. XI. n. 1, et tandem ex proscriptione haeresis Aerii: unde et Chorepiscopis simplicibus nulla agnita est potestas ordinandi, ut e sententia suorum decessorum Leo III. respondit Episcopis Galliae (cf. Mansi Coll. Concc. V. XIII, pag. 1059). Hinc distincti fuerunt sacerdotes primi ordinis et sacerdotes secundi ordinis (Optatus L. I. c. 13, Leo M. Serm. X in quadragesima, Hieronymus epist. LXXVIII coll. XLI, n. 3.).

Est autem distinctio haec iure divino. Cuius rei 1^o testis est Clemens ad Corinth. n. 42, qui eo spectans ut Episcoporum et Diaconorum institutionem commendat, ait: « missus est Christus a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatum ex volun-

tate Dei. Itaque acceptis mandatis... egressi sunt annunciantes regnum Dei. Praedicantes igitur per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos qui credituri erant, constituerunt »: quibus in verbis provocatio ad missionem Christi et Dei voluntatem fit a Clemente non pro sola praedicatione Verbi, de qua obiter sermo est, sed pro constitutione episcoporum et diaconorum. Item testis est Ignatius inquit ad Ephes. n. 3. « Episcopi per terrae terminos definiti ex Spiritu S. sunt sententia. » Si enim, ut probavimus, episcopus a presbytero distinctus est, et si ex Christi voluntate et sententia est ab Apostolis constitutus Episcopus, fuit utique constitutus qualis reapse est, h. e. distinctus secundum dignitatem et potestatem a presbytero, ideoque iure divino talis est. Sane haec distinctio semper exstitit in Ecclesia ab Apostolica aetate: constat enim Apostolos singulis Ecclesiis unum episcopum praefecisse, ut docent omnia monumenta citata; nec adversatur inscriptio Apostoli ad Philippenses I. 1. cum episcopis et diaconis; ii enim non unius civitatis, sed regionis episcopi erant singuli in singulis civitatibus, quemadmodum et maiores natu Ecclesiae quos Ephesum mittens convocavit ad se Paulus Act. XX, 17-28. Haec porro distinctio spectat ad intrinsecam Ecclesiae constitutionem: « sine his enim (episcopo et presbyteris) Ecclesia non vocatur » ait Ignatius ad Trall. n. 3; atqui quae sunt huiusmodi, Christo auctore sunt in Ecclesia. Praeterea potestas ordinandi cum sacramentalis sit, est de iure divino: cum ergo ea solis episcopis competat, hi iure divino secerantur a presbyteris. Item distinctio talis inter episcopum et presbyterum credita est semper immutabilis ita ut neque Ecclesiae auctoritate valeat mutari; creditum est enim potestatem ordinandi manere in episcopis separatis, vereque ipsos ordinare licet contra Ecclesiae voluntatem id faciant; nec posse Ecclesiam efficaciam eorum actus impedire, liquet ex doctrina de caractere: quod vero ab Ecclesia mutari nequit, est de iure divino, si nequeat repeti a iure simpliciter naturali.

Huic doctrinae videtur adversari Hieronymus, qui epist. CXLVI. docet unum Episcopum praepositum esse ceteris cum studia exarserunt dicentium ego sum Apollo, ego Cephae etc. idque in schismatis remedium, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christum romperet. Et in comm. in epist. ad Titum c. 1. monet Episcopos magis consuetudine quam dispositionis Dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune, cum presbyteris scilicet, debere Ecclesiam regere.

Respondeo. Hieronymus agnoscit essentielle discrimen praeeminentiae inter episcopum et presbyterum, quod nempe solus episcopus

possit ordinare. *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus quod Presbyter non faciat?* epist. cit. quae ratio est ab Epiphano adhibita contra Aerium. Cum vero Hieronymus pares quodammodo facit episcopum et presbyterum, spectat, ut scite advertit Petavius (E. H. L. II. c. 7. n. 1.), *usum ecclesiasticae gubernationis*, idque considerat quod sive ordinarie sive extraordinarie fieri potest a presbytero: porro satis constat presbyterum simplicem capacem esse iurisdictionis episcopalis sibi delegatae; ipsosque presbyteros cum episcopo Ecclesiam communi consilio regere. Quod vero de occasione dicitur qua praelatus est Episcopus presbyteris, vel accipiendum de occasione exsequendi quod Christus iusserat (Clementis epist. I. c. n. 44), vel seposito eo quod aestus disputationis elicit, illud, non secus ac id quod ait auctor inter opera Hieronymi de 7^m ordinibus n. 7, eo potest sensu accipi quo accipitur et Cyprianus dicens praelatum esse Petrum caeteris ut schismatis amotis unitas ab omnibus servaretur, quod profecto divinum ius non excludit, imo includit. Quia vero ipse Hieronymus agnoscit ius ordinandi esse penes solum Episcopum ideoque, ut ait Epiphanius, solum Episcopum posse gignere patres Ecclesiae et sic Ecclesiam perennare, atque adeo solum Episcopum esse subiectum iure divino idoneum ad regendam Ecclesiam, hinc quod ait idem Hieronymus episcopos magis consuetudine quam dominicae dispositionis veritate presbyteris esse maiores, cum quodam temperamento est accipiendum, ne ipse sibi contradicat: scilicet quod Episcopus non in commune, h. e. communi consilio et voto, sed solus Ecclesiam regat, id potius consuetudini quam divinae dispositioni referendum in acceptis. Cf. Petavium I. c. et §. seq.

III. Iam ex allatis demonstrationibus constat Episcopum superiorem esse presbytero; Episcopus est enim qui presbyterum ordinat, qui Ecclesiam unus regit, presbyterisque praeest. Est autem superior iure divino; nam iure divino solus ordinat et ex eo quod ordinat, h. e. generat Ecclesiae rectores, eamque perpetuare valet, est subiectum divina institutione idoneum ad regendam Ecclesiam, presbyterisque praesidendum. Quae duo cum asseruerit Trid. Syn. Sess. XXIII. c. 4. implicite quoque asseruit iure divino episcopos superiores esse, licet id explicite noluerit definire.

Nota haud dignum esse fide Eutyrium Patriarcham Alexandrinum sec. IX labente, cum in lib. de Originibus Ecclesiae Alexandriae scribit olim in tota Aegypto a Marco ad Demetrium usque unum tantum fuisse episcopum, alexandrinum scilicet. Cf. Natalem Alex. H. E. sec. IV Diss. XLIV §. 26.

IV. Quae vero Presbyteriani cum Blondello ex Scripturae locis Philipp. I, 1. Act. XX, 17. 1^a Tim. IV, 14. 1^a. Petri V, 1. colligunt, aequi-